

DE LVCO
RELIGIONI AB ABRAHAMO CONSECRATO

AD GENES. XXI, 33.

EX ANTIQVITATE SACRA DISSERIT

ATQVE

VIRO PLVRIMVM REVERENDO, AMPLISSIMO
DOCTISSIMO, DOMINO

M. IO. CONRADO WINDISCHIO,

PASTORI OTTENDORFFE. ATQVE GROS- ET KLEIN-

OCRYLLENSIVM OPTIME MERITO ET MERENTI,

DE NVPTIIS AVSPICATISSIMIS

CVM

NOBILISSIMA ATQVE ORNATISSIMA VIRGINE

SVSANNA MAGDALENA
HAYMANNIA,

PLVRIMVM REVERENDI ATQVE DOCTISSIMI DOMINI

M. CHRISTOPHORI HAYMANNI,

PASTORIS QVONDAM LANGENHENNERSDORFFEN-
SIVM FIDELISSIMI,

FILIA NATV MAXIMA,

DIE XXIII. NOVEMBR. CIOIDCC XXXV. CELEBRATIS

SOLENNIA VOTA

COLLEGII PHILO-BIBLICI,

QVOD SVB PRAESIDIO

SVMME VENERABILIS ATQVE MAGNIFICI DOMINI

CHRISTIANI FRIDERICI BOERNERI,

THEOLOGI ET PROFESSORIS PRIMARII LIPSIENSIS, RELIQA,

IN ACADEMIA LIPSIENSI FLORET,

LVBENS MERITOQVE SOLVIT

GEORGIVS SIGISMVNDVS GREENIVS,

A. M.

LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

Coll. diss. A
43, 32

a. X. LIII. 32

LVcos olim religioni et numinibus consecratos fuisse, gentium pariter historiae ac ipsius sacrae monimenta declarant, a) atque tam solemnem in iis obtinuisse testantur sacrorum usum, ut si nunc nobis occurrat vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus, et conspectum coeli, densitate ramorum aliorum aliis protegentium, submouens, illa proceritas filuae, et secretum loci, et admiratio umbrae fidem nobis numinis alicuius ibidem olim culti faciat, b) animumque nostrum quadam priscae religionis percutiat suspicione. c) Ignoravit enim imo repudiauit extruendorum templorum consilium prima et antiquissima mortalium aetas, d) et quod de Zenone traditum est memoriae dogma, *ἱερὰ Θεῶν μὴ οἰκοδομεῖν*, suprema quasi religionis lex olim habita fuit, quod nimirum prudentissimi viri, coelestium magnitudinem spectantes, aedibus contineri numina, aut cohiberi tectis, quorum omnia essent plena, non posse existimarent, e) impieque agere eos, qui intra exiguum fani ambitum diuinitatem coercere, atque augustam deorum maiestatem parietibus includere sustinerent, cum iis omnia deberent esse patentia et libera, quorum hic mundus omnis templum esset ac domus f). Qui igitur primi fuerint insequenti tempore templorum auctores, etsi tam dubia et incerta res sit, ut vix aliquid veri asseri de ea queat, g) de eo tamen inter omnes constat, sero admodum homines de sacris diis immortalibus dedicandis aedibus cogitasse, earumque aliquam originem ad sepulchra clarorum virorum referendam videri, h) quibus, cum inter omnes gentes habita fuerit religio, factum fuisse exinde, ut vel in loco diis sacro conderent mortuos, diisque quasi propius associarent manes, vel deinde etiam ad eorum sepulchra, quorum post fata diu venerarentur memoriam, fana et delubra diis consecrarent. i) Atque

a) Ita Lil. Gr. Gyraldus T. I. opp. f. 474. B.

b) ut fere illud Ouidii L. III. El. I. huc valeat

Si vetus et multos incaedua filua per annos,

Credibile est illi numen inesse loco.

c) Lege Senecam Epist. XLI.

d) Vid. C. S. Schurzfleischii de Templorum Antiquitatibus, et Cel. Fr. Menzii, Nostri, de Consecratione Templorum Diff. collat. Henr. Linck de Encaeniis Templorum. et Fr. Goth. Freytagii de Sacris Gentium in montibus Diff. et Gyrald. T. I. f. 471. Alex. ab Alex. Genial. dier. L. IV. c. XVII. p. m. 227. ed. Frf. 1667.

e) Thaletis sententia apud Ciceronem L. II. de Legg. §. 26.

f) De Persarum Magis Xerxi inflammandorum Graeciae templorum auctoribus haec Cicero c. 1. et de Germanis nostris Tacitus de Mor. illorum paria refert.

g) Cl. Fr. Menzius c. 1. §. X.

h) Gyrald. d. l. f. 690. coll. 472.

i) Conf. A. C. Eschenbachii de consecratis gentium lucis, inserta P. II. Fasc. Diff. Philol. C. Bernizii et C. van Arkel, Rotterd. 1710. Diff. §. XI. D. Dresleri de Lucis religioni gentium destinatis, §. XI. Io. Nicolai de Sepulchris Hebraeor. L. II. c. XV. §. II. et L. IV. c. VII.



Atque ita profecto inter Christianos orta fuere ex parte templa, qui nimirum inter alia secreta loca, cum ob saeuissimam gentium crudelitatem

*nulli certa domus, lucis habitaret opacis,
riparumque toros, et prata recentia riuus
incoleret quisque, k)*

martyrum quoque tumulos religioni destinabant, l) partim reuerentia erga illos adducti, partim vt constantiae virtutumque clarissima, quae intuerentur, exempla coram et in promptu haberent, iisque mox altaria superstruebant, m) mox vero et ipsa templa super eos exaedificata sanctissimis illis viris dedicabant, siue vt rectius dicam, ab iis saltem, sempiternae memoriae conseruandae causa, denominabant. Neque vero et in ipsa supremo numini dilecta gente prius exstitit aliquis sub antiquo foedere consecrationis templorum auctor, n) antequam summus ipse Deus diuinum illud, quo inter mortales sedes sibi decerneret Optimus Maximus, Pf. LXX, 60. Mosi adumbrasset domicilium, deinceps vero Salomoni Regi maximi illius et magnificentissimi terrarum orbis templi o) exstruendi potestatem fecisset, solemniter nimirum illa, se in caligine diuersurum, p) 1 Reg. VIII, 12. 2. Paralip. VI, 1. declaratione. Neglecto igitur antiquis temporibus templorum vsu, simul vero et ipsa suadente ratione segregati alicuius loci ad deorum immortalium cultum consecrationem, sacra primum habita et religioni fuerunt destinata montuosa et siluestria loca, atque ad peragendum sanctum deorum cultum vel ipsa montium cacumina adita, vel lucorum secreta penetrata, vel vterque simul pio et religioso instituto ita iunctus est locus, vt in ipso monte seligerent sacris faciendis lucum, vel singulari studio exercendis pietatis solemnibus editiore in loco et colle confererent talem et plantarent. q) Ita arbores prima fuerunt numinum templa, r) sub illarum vmbra vetustissima deorum delubra, eaque loca, in quibus deorum nominibus appellabant secretum illud, quod sola reuerentia videbant, s) sancte fuerunt diutissime culta, donec cum ipsa templorum religione permutarentur. Iste vero in lucis deos colendi ritus, vt antiquissimus,

) (2

ita

k) Virgilius Aeneid. VI. 673.

l) H. Linck c. 1. p. 24. et Casp. Sagittarius de Natalitiis Mart. P. I. d. Bernizii et Arckel. Fasc. Diff. C. III. §. 50.

m) Idem Sagittarius d. 1. §. 33. seqq.

n) Vid. Polyd. Vergilius de rer. inuentor. L. V. c. VI. coll. L. III. c. IX.

o) Vid. Guil. du Choul Relig. Rom. Amst. 1686. p. 4.

p) De Deo, caliginis incolae, conf. optimi fratris mei, Christ. Sigism. Greenii, Diff. sub praesidio Summi Io. Gottl. Carpzouii, quondam Nostri, hab. L. 1728.

q) Conf. A. C. Eschenbach. d. 1. §. 5. et Fr. G. Freytag l. c. §. VII.

r) Plinius Hist. N. L. XII. c. 1.

s) De maioribus nostris tradit haec Tacitus de M. G.

ita et simplicissimus fuit, atque inter puriora priscae religionis sacra referendus, in quibus non auro fulgentia atque ebore simulacra adorabant, imo vero nullam, neque sculptam, neque pictam, effingebant deorum imaginem, neque eos in ullam humani oris speciem assimilabant, nefas omnino arbitantes, augustiora exprimere humilioribus; neque vero adspirari aliter ad deum quam mente posse existimantes, t) lucos religioni destinabant optimi homines, atque sola in iis silentia reuerebantur. u) Imo cum tam sancta olim fuerit lucorum nemorumque religio, etsi successu temporis in deteriore mutata, varioque superstitionis cultu contaminata, non temere vel circa eam iis accedendum, qui cum veram sacrorum originem ignorantes, tum vero et ad superstitionem usque religiosi metuentes, ne de pollutis sanctissimae religionis nostrae sacris quaestio ipsis decernatur, omnia gentium sacra, siue quid primum diuinitus acceptum, siue sapienti consilio institutum, inter mali daemonis vel inuenta vel prauam imitationem, imo et interdum, dii boni! spiritus illius infernalis praestigias referunt, non satis intelligentes, quam praeclara et insignia argumenta pro veritate summi numinis et sanctitate eius, et colendi eum hominum officio vitaeque sanctimonia ex solemni gentium consensu, veraque sibi vndique constanti religione, desumi queant. Sed fuit omnino sanctissimae pietatis institutum prima lucorum consecratio, nulloque admisso superstitionis cultu ab ingenuis veri Dei cultoribus antiquissimo tempore suscepta, inde ad posteros eorum deriuata, ac per omnes fere terrarum gentes sensim fusa, quarum deinde, cum vetustissima inter eas diutissime viguerit religio ac conseruata fuerit, x) maxime solemnia et frequentissima in lucis sacra inueniuntur. Atque ab omni demum superstitionis suspitione liberatur ea, cum a Mose diuinitus consignata literarum monumenta Abrahamum tradunt consecrasse lucum, eumque vnus supremi atque immortalis Dei Iehouae venerationi destinasse. Genes. XXI. 33. Cum igitur Vir sanctissimus nulli omnino superstitioni obnoxius censeretur, lucis tamen ipse et nemoribus ita assuetus fuerit, vt primus sibi arborum usum elegisse videri vix queat, rectissime lucorum usus atque consecratio tam vetusta viris doctis habita fuit, y) quae ex antiquissimo more, et ab ipso humani generis parente, Adamo, profluxerit, vt de primo illo huius vniuersi incola dubium non sit, quin simili ritu cum vxore et liberis habitauerit, quo apud Germanos antiquos non aliud

infan-

t) De Numa Romanorum haec habet Plutarchus in eius vita. Adde Clem. Alexandr. Strom. L. I.

u) Plinius ita c. l.

x) Dionys. Vossius ad R. Maimon. librum de Stellarum cultu. Conf. Eschenbach. c. l. §. 3.

y) Lege Cluuerum de Germania antiqua.

infantibus ferarum imbriumque suffugium fuisse tradit Tacitus, quam
 ut in aliquo ramorum nexu contegerentur. Huc rediisse iuvenes; huc
 senum receptacula. *) Imo vero, si accuratius prima petatur huius
 rei origo, ad ipsum recurrendum erit Deum immortalem, qui plan-
 tato in terra Eden amplissimo atque amoenissimo luco, sacrum eum
 simul sibi voluit, cultoresque sui primos mortalium parentes intro-
 misit illuc, duasque in eo dedicavit eximias arbores, in publicum et
 solemne testimonium religionis. z) Atque deinde cum mox tristi et
 nunquam fatis dolendo facinore commisso, ipsaque sacrata arbore vio-
 lata, sacro illo nemore eiectione fuere miseri mortales, ipsique per flammam
 gladii vibrantis, ignesque de coelo emissos, atque excitatos e terrae ful-
 phure ac bitumine circa paradisum ab angelis, et a regressu ad pristina
 loca arcerentur, et ipse paradisus, si coniecturae locus est, sensim con-
 sumeretur, a) credibile est, illos lucis magnopere delectatos fuisse et ar-
 boribus, quae relictam referrent iucundissimam paradisi habitationem. b)
 Praeterea id religionis habitum fuisse officium visum est, ut quale
 primum mortalibus destinasset habitaculum Deus, talia ipsi deinde con-
 secrarent, c) nisi potius ipsam servare sacram voluerint conditio-
 nem loci, in quo primum ipsis apparuisset numen. Denique et sub
 arboribus postea reconciliare sibi Deum studuerunt homines, et sub
 iisdem sacrificia ipsi offerre, quarum violatione iratum sibi eum
 reddidissent. d) Ea igitur religione, eoque iure, a prima sta-
 tim hominum aetate sanctos habitos fuisse lucos, ac ipsum paradi-
 sum, existimatur, e) idque doctissimo Wormio c. l. illa graecorum
 appellatio, qua *παράδεισος* nominauerint lucos, illustrare, imo sta-
 bilire videtur, qua nimirum ratione, cum cognomines redderentur luci
 Edenis horto, siue potius amplissimo illi nemori, sic ipso nomine origi-
 nem suam haud obscure declararent. Eandem vero paradisum imi-
 tandi consuetudinem et inter filios gentemque Adami probabile est
 obtinuisse, eamque nunc pari affectu et propensione in arbores ne-
 moraque fuisse ac ipsum parentem, ut mox ab ea aeque ac ipso Ada-
 mo in lucis adoratus, cultus et sacrificiis fuerit placatus Deus. f) Hunc
 quoque lucorum usum mox ab Eno, insigni pietatis in Deum ex-
 emplo vel in iis ab Adamo, Abele, et Setho permoto illo diuini cultus
 et solennis sacrificandi ritus restauratore sanctissimo, collectis ab im-
 piis

) (3

*) Adde illud Ouidii L. II. A. A. 621.
 z) Vrsinus in Arboreto Bibl. c. 47. Add.
 Dresler. d. l.
 a) Vide I. R. C. Hist. Eccl. V. T. antediluu.
 §. LXXI. L. 1722.
 b) Conf. Christ. Wormius de Corrupt. ap.
 Tacit. et Mart. Antiqu. Hebr. vestig. L.
 L c. IV. p. 125.

c) Dreslerum c. l. et C. Wormium c. l. vide.
 d) Conf. eundem Dresler c. l.
 e) Vide Th. Ians. ab Almeloueen Antiq.
 e sacris profan. p. 11--23.
 f) Ita sanctitatem lucorum describit Li-
 uius L. XXXV. 22.

piis, et qui de nomine Iehouae vocarentur Genes. IV, 26. ad docendum summi numinis cultum et sanctiora religionis capita explicanda, adhibi- tum fuisse conicit Iac. Bolduccius, g) capucinatorum de grege mona- chus, eumque Enosaeorum sanctiorem coetum a cainitarum h) iniuriis in lucos se recepisse, et ad praestandum Deo cultum in illis congregatum fuisse vel ex Ebr. XI. 38. asseri posse putat. Pari ratione primis etiam a diluuiio temporibus iustos atque candidos illos viros sub quercu- bus et lucis degere, et in iis numina suspicere, ac pro sacratissimis templis illis vti solitos fuisse, tradit Vincentius Chartarius. i) Ita haec solemnis lucorum aestimatio ad pios illorum hominum poste- ros per manus quasi a maioribus tradita promanauit, vt nunc ipsum, spectatae probitatis et fidei virum, Abrahamum, et habitationi lucum elegisse sibi reperiamus, Genes. XII, 18. XVIII, 1. tum vero separatim et religioni cultuique supremi numinis eum consecrasset. Genes. XXI. 33. Cuius quidem rei cum tam clarum sit testimonium, atque auctoritate diuina munitum, frustra inficias ire parabit Spencerus, k) aut penitus negare conabitur, sanctissimos dei viros, quos reueren- tia patriarchas vocamus, vnquam in lucis sacrificasse, aut in lucis su- premo numini obtulisse sacra. Neque enim in hoc Abrahami fa- cto aliqua superstitionis vestigia inuenienda, vt vel idololatram eum antea fuisse, l) vel ipsam idololatriam sanctissimo Dei cultui initia et ceremonias dedisse, m) elici exinde queat, quin potius castissima fuisse, et ab omni superstitione immunia, prima sub arboribus et in lucis peracta sacra, vel ex eo certissime constet, quod ea accepta Deo grataque fuisse sacrae literae testentur. Etsi enim deinde Deus seue- rissima Israelitis lege tam omnem omnino lucorum plantationem atque consecrationem interdixerit, quam eos omnes in terra chananaea in- uentos vel exscindendos, vel inflammandos, vel omni modo deua- standos praeceperit; n) Veruntamen vti nulla plane in gente sua si- mulacra, vel sibi soli erecta atque consecrata, tolerauit, ita et nullum priscae in hac terra superstitionis monumentum superesse voluit, ne illud occuparet sensim hominum imbecillitatem, eorumque deinde animos opprimeret, et repente omnibus magnis paruisque superstitio- nibus obnoxii fierent sui cultores, atque polluerentur. Quam neque de- inde vlla ratione permisit lucorum religionem, cum primum Taberna- culo,

g) Comment. in Iob. T. II. f. 368.

h) Vide I. R. C. Hist. Eccl. V. T. Antedil. §. CIX.

i) in L. de imaginibus Deor. Mog. 1687. p. 5.

k) Grauer notatum Spencerum lege apud Wormium c. l. p. 114.

l) Huius sententiae auctores vide in Budd. Hist. Eccl. V. T. P. I. p. 205.

m) Auctores de ea re vide in Worm. c. l. p. 86.

n) Conf. P. Rauanelli Biblioth. Exeget. T. I. f. 957.

culo, deinde vero et Templo, relato ad Christum, humani generis feruatore, certissimo typo, quod nulla extra eum speranda homini salus, omnium adstringeret sacra, sui que nominis cultum. Deut. XII. 5. Ioh. IV. 20. Neque enim in se spectatam abominauit Deus sacrorum in lucis et sub arboribus cultum, cuius vel ipse aliquando, condito paradiso, primis humani generis parentibus, tum vero et ipsi Abrahamo, extitit auctor, atque factas illorum locorum, ubi ipse apparuerat, consecrationes non repudiauit. Ita desideratae Isaaci immolationi montem ipse ac nemus designauit, Genes. XXII. 2. coll. 13. deinde vero, ubi non refragauit, cum naturali quodam et omnium menti insitae reuerentiae impulsu sacra haberent ea loca mortales, in quibus coeleste adfuiisset numen, Genes. XXVIII. 16. 17. 18. ipse vero sub arboribus et in lucis apparuerit saepius, Genes. XVIII. 1. Iud. VI. 11. atque sacra sibi, Iehouae apparitori, Genes. XXXV. 1. fieri sub iis permiserit, Genes. XII. 7. XIII. 18. Iud. II. 19. eaque rata maxime habuerit, Iud. VI. 21. ipse inter sanctissimos sui nominis cultores lucorum usum confirmauit, o) eumque, in se spectatum, nihil superstitiosi continere, dum acceptam ferret eorum religionem, fatis declarauit. Vt nihil nunc addam de ipso Tabernaculo et Sacrario Iehouae sub opaca et excelsa quercu erecto, cuius rei non improbabile argumentum ex eo, quod in memoriam solennis Israelitarum cum Deo icti foederis lapidem sub altissima quercu, quae in Sanctuario Iehouae, atque in ipso sacro Deo loco fuerit, posuisse Iosua dicatur, Ios. XXIV. 26. desumi posset. p) Mitto et illud, quod de ipso Bersebae ab Abrahamo plantato nemore ad gentes alias propogata videatur P. D. Huetio q) lucorum ad deorum cultum et sacrificia peragenda consecrandorum consuetudo; et quae speciatim de Druidum, r) maiorum nostrorum Theologorum, ordine, huius ipsius exempli in Abrahamo claritudine, cum virum sanctissimum sub arboribus, et quercubus maxime, viuere, sacra peragere, ac Deo hospite frui accepisset, permoto, atque

- o) Ita certe gentilium confirmata lucis habita religio, quod fulgure deos praesentiam suam testari, locumque sibi eo dicare, putarent, ac proinde res omnes de coelo tactas sacras haberent, Seneca de Ira L. III. c. 23. et de Clem. L. I. c. 7. atque cum ex conditione excelsarum arborum, quercuumque maxime natura, lucis saepius inciderit fulmen, factum esse videtur, ut et fulgurita lucorum religioni eligerent loca, et ob fulmina deinde illis immissa, eo sanctius eos venerarentur.
- p) Vide Edm. Dickinsonii de Druidum ori-

gine commentat. eiusdem Delph. Phoenicizant. quam Fasc. Diss. Philol. inseruit Th. Crenius, annexam, p. 191. seqq. C. Wormius c. 1. p. 124.

q) Demonstr. Euangel. Prop. IV. c. XI. p. 268.

r) De Druidis auctores vide studiosè notatos in Doctiss. P. D. Longolii *ἀνθρωποδυσία* orig. Diss. II. §. XXXIX. p. 53. *Critische Beytraege zur Deutschen Sprache* P. II. p. 335. cel. Walch. in vitis Philosophor. Lex. Philos. subiunct. p. 60. seq.

atque ea nemorum gloria eximie capto, vt, auctore Plinio, roborum lucos eligeret, sacra in iis procuraret religionesque interpretaretur, disserit Edmundus Dickinson. s) Reliqua denique praetereo, quae de insigni vna, reliquisque eminentiore quercu, sub qua et habitauerit olim Abrahamus, et sacra curauerit, quae vsque in Constantini M. tempora durauerit, vt annua circa eam festa Christiani, Iudaei et Arabes celebrauerint, Sozomenus, t) Hieronymus u) et Isidorus x) memoriae prodiderunt.

Haec de lucorum consecratione meditabar, PLVRIMVM REVERENDE WINDISCHI, cum solenni hodie religione sacroque ritu LECTISSIMA TIBI HAYMANNIA dedicatur; cuius ipsum SVAVIS-SIMAE SPONSAE nomen cum faustum quasi auspicato contineat omen, vota nostra et solennes preces ita nunc exponemus, vt sancta et religiosa mente Deum veneremur, velit vos, qui hodierno die in aede Iehouae sacra consecramini, Ps. XCII. 14. omni felicitate florentes, saluos, incolumes conseruare, laetissimosque diu rebus humanis interesse iubere, vt iucundissimum vestrum coniugium ipsas nemorum et lucorum, imo paradisi, referat atque imitetur amoenitates, vosque et ipsi dulcissimam degatis vitam, et soboles vestrae exoptatissima, Vobisque simillima propago, in virtutis et sanctitatis dilectas Deo arbores Es. LXI, 3. progerminet atque excrescat, atque cum iis Vos perenni et incorrupto flore vigeatis, senescatis, tandemque in iis superstites ipsi maneatis! Impleat largissime supremum numen laetum omen, et facto ipso interpretetur, vota que nostra ampliora reddat. Ita Deus vos seruet!

s) l. c. p. 193.

t) L. II. C. III. H. E.

u) de Locis Hebraicis.

x) Conf. Dickinson. c. l. p. 191. et Worm. c. l. p. 124.



coll. diss. A. 43, m. 1, 32